

## TIT. VII.

SI QUACUNQUE PRÆDITUS<sup>1</sup> POTESTATE, VEL AD EUM PERTINENTES<sup>2</sup> AD SUPPOSITARUM JURISDICTIONI SUÆ ADSPIRARE TENTAVERIT NUPTIAS.

1. Impp. GRATIAN., VALENT. ET THEOD. AAA. Theodoro P. P.

Si quis ordinaria, vel qualibet præditi potestate, circa nuptias invitit ipsis, vel parentibus [earum] contrahendas (sive pupillæ, sive apud patrem virgines, sive viduæ erunt, sive sui juris viduæ, denique cujuscunque sortis) occasione potestatis utatur, et minacem fervorem suum invititis, quorum utilitas agitur, exhibere, aut exhibuisse delegatur, hunc, licet prohibitas nuptias non peregerit, attamen pro tali conamine multe librarum auri decem obnoxium statuimus: et cum honore abierit, peractam dignitatem usurpare prohibemus, tali scilicet pœna, ut si circa honorem eum, quo male usus est, vindicandum nostris statutis parere noluerit: eam provinciam in qua sibi usurpaverit, habitare per iuge biennium non sinatur. Illo videlicet adjuvando, ut et in potestate adhuc constituto, liceat personæ quam hujusmodi ambitu circumvenire tentaverit, contestatione proposita, eam sua suorumque domo jurisdictionem ejus evitare: curaturis hoc uniuscujusque civitatis defensoribus, et ejusdem judicis apparitoribus. Et quidem si hæc pravitas ordinarii judicis erit, universa domus ejus ratio, atque omnia, vel civilia, vel criminalia negotia, quamdiu idem in administratione fuerit, vicario competant. Sin autem vicarius, vel similis potestatis, vim [in] hujusmodi matrimonio contrahendo molietur: vicissim ordinarius iudex intercessor existat. Sin [autem] erunt utriusque suspecti, ad illustrem prefecturam specialiter talium domorum, quamdiu ibidem administraverint, tuitio pertineat. — Dat. 15 kalend. Jul. *Thessalonice*, GRATIANO A. 5 ET THEOD. A. 1 CONSS. 580.

## TIT. VIII.

SI NUPTIÆ EX RESCRIPTO PETANTUR.

1. Impp. HONOR. ET THEOD. AA. Theodoro P. P.

Quidam vetusti juris ordine prætermissis, obreptione<sup>1</sup> precum<sup>2</sup> nuptias quas se intelligunt non mereri, a nobis existimant postulandas, sæpe habere [puellas] consensum contingentes: quapropter tale sponsalium genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit: amissionem honorum, et pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat, et amisso jure matrimonii, quod prohibita usurpatione meruerit, filios se ex hac conjunctione susceptos, justos non habiturum, nec unquam postulatæ indulgentiæ annotationisve indulto efficacem se veniæ effectum meruisse: exceptis his qui parentum sponsonem<sup>3</sup> de nuptiis filiarum implere desiderant, vel sponsalia<sup>4</sup>, hoc est arrarum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deponant. — Dat. kal. febr. HONOR. 8 ET THEOD. 5 AA. CONSS. 409.

2. Imp. ZENO A. Basilio P. P.

Nefandissimum scelus fratris sororisve filix<sup>5</sup> nuptiarum, quod sacratissimis constitutionibus sub gravissima pœnæ interminatione damnatum est, iterato præsentis divinæ sanctionis tenore modis omnibus prohibemus. Precandi quoque in posterum super tali conjugio (imo potius contagio) cunctis licentiam denegamus: ut unusquisque cognoscat impetrationem quoque rei cuius est denegata petitio, nec si per subreptionem<sup>6</sup> post hanc diem obtinerit, sibimet profuturam.

## TIT. IX.

DE SECUNDIS<sup>1</sup> NUPTIIS.

1. Impp. GRATIANUS, VALENTINIANUS ET THEODOSIUS AAA. Eutropio P. P.

Si qua<sup>2</sup> mulier nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum festinatione præstiterit: ex jure quidem notissimo sit infamis<sup>3</sup>: præterea

TIT. VII. — 1. Adde tit. 2, supr. h. lib. 1. L. 38, L. 63, L. 65, D. de ritu nupt. — 2. L. 57, pr. D. d. i. — 3. L. 18, supr. ex quib. caus. infam. d. L. 4, l. 2, infr. h. l.; L. 1, in fin.; L. 8 et seqq. D. de his qui not. infam. — 4. *Abrog.* L. 6, infr. h. l.; N. 2, c. 5. — 5. L. 1, § 14, infr. de datur. — 6. N. 39. — 7. N. 94, c. 2. — 8. L. 1, supra h. l.; N. 2, c. 11; N. 22, c. 25. — 10. L. 6, § 1, infr. h. l.; L. 2, infr. de iudicia. *Abrog.* N. 22, c. 25. — 11. L. 6, § 2; L. 8, § 3, infr. h. l.

secundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex testamento plus quam tertiam<sup>4</sup> partem relinquat. Omnium præterea hereditatum, legatorum, fideicommissorum, suprema voluntate relictorum, mortis causa donationum sit expers: hæc namque omnia ab heredibus, vel coheredibus, aut ab intestato succedentibus vindicari jubemus: ne in his in quibus correctionem morum induximus, fisci<sup>5</sup> videamur habere rationem. His etiam amittendis, quæ prior maritus ei suprema voluntate reliquerit: quamquam hæc quæ mulieri a priori viro relinquuntur, et per immaturum matrimonium vacuata esse cœperunt, primo a decem personis edicto prætoris enumeratis (id est, ascendentibus, et descendentibus, ex latere autem usque ad secundum gradum, scilicet gradibus servatis) deinde præsumi a fisco jubemus. Eandem quoque mulierem infamem redditam hereditates ab intestato, vel honorarias, non ultra tertium gradum sinimus vindicare. — P. P. 15 kal. Jan. GRATIANO 5 ET THEOD. AA. CONSS. 580.

In AUTHENT. de nupt., § si autem tutelam, coll. 4, tit. 1, Nov. 22, cap. 40 et 2, pars hujus Authent. habetur, collat. 4, tit. 18, al. tit. 16, de restit. et ea quæ parit undecimo mense, § fin., Novell. 59, cap. 2.

Eisdem pœnis subjicitur etiam ea, quæ parit intra lucus<sup>6</sup> tempus, si modo indubitatum sit sobolem hæc ex defuncto non existere: nam et usufructu antenuptialis donationis privatur. Item et ea quæ suscepta liberorum tutela, contra sacramentum, secundo nubit, non prius tutorum petens, et rationem reddens, et exsolvens omne quicquid debet. Sed hodie, ulteriore jure sacramentum<sup>7</sup> ab ea non exigitur, sed contractis nuptiis a tutela repellitur.

2. Idem, AAA. Eutropio P. P.

Si qua ex fœminis perditio mariti, intra anni spatium alteri festinaverit nubere (parvum enim tempus post decem menses servandum adjuvamus: tametsi id ipsum exiguum putemus) probrosis inusta<sup>8</sup> notis honestioris nobilisque personæ decore, et jure privetur: atque omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel jure sponsalium, vel iudicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat. — Dat. 5 kal. Jun. *Constantinop.* EUCHERIO ET SYAGRIO CONSS. 581.

3. Idem, AAA. Floro P. P.

Fœminæ, quæ susceptis ex priore matrimonio filiis, ad secundas [post tempus luctui statutum] transierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum sponsalium jure, quicquid etiam nuptiarum solennitate perceperint, aut quicquid mortis causa donationibus factis, aut testamento jure directo, aut fideicommissi, vel legati titulo, vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis (ut dictum est) priorum maritorum fuerint adsecute: id totum ita ut perceperint, integrum ad filios quos ex precedente conjugio habuerint, transmittant, vel ad quemlibet ex<sup>9</sup> filiis (dummodo ex his tantum [sit]) quos tali successione dignissimos judicamus) in quem constitutionem meritorum liberalitatis suæ iudicium mater crediderit dirigendum. Nec quicquam eadem fœminæ ex iisdem facultatibus alienandum in quamlibet extraneam personam, vel successionem ex alterius matrimonii conjunctione susceptam, præsumant: atque habeant potestatem possidendi tantum [atque fruendi] in diem vitæ, non etiam alienandi<sup>10</sup> facultate concessa. Nam si quid ex iisdem rebus in alium quemlibet fuerit ab ea translatum: ex maternis redintegrabitur facultatibus, quo illibata ad eos quos statuimus liberos bona, et incorrupta perveniant. — § 1. Illud etiam addimus [huic] legi, ut si aliquis ex iisdem filiis quos ex priore matrimonio susceptos esse constabit, forte decesserit matre jam secundis nuptiis funestata, aliis etiam ex eodem matrimonio progeneris liberis superstitibus, id, quod per eandem successionem ab intestato, vel ex testamento suæ posteritatis mater videbitur consecuta, in diem vitæ suæ pro sibi debita portione sola tantum possessione delata, omne his qui supererunt, ex priore susceptis matrimonio filiis relinquat: nec super istiusmodi facultatibus testandi in quamlibet extraneam personam, vel quicquam alienandi habeat potestatem. Quod si nullam ex priore matrimonio habuerit successionem, vel natus native decesserit: omne quod quoque modo perceperit, pleno proprietatis jure obtineat, atque in his nanciscendi domini<sup>11</sup>, et testandi circa quem voluerit, liberam habeat facultatem. — Dat. 6 kal. Jun. *Constantinop.* ANTONIO ET SYAGRIO CONSS. 582.

TIT. IX. — 1. N. 22, c. 22 et seqq. adde N. 2, N. Leon. 90. — 2. L. 4, infr. ad SC. Tert. — 3. L. 18, supr. ex quib. caus. infam. d. L. 4, l. 2, infr. h. l.; L. 1, in fin.; L. 8 et seqq. D. de his qui not. infam. — 4. *Abrog.* L. 6, infr. h. l.; N. 2, c. 5. — 5. L. 1, § 14, infr. de datur. — 6. N. 39. — 7. N. 94, c. 2. — 8. L. 1, supra h. l.; N. 2, c. 11; N. 22, c. 25. — 10. L. 6, § 1, infr. h. l.; L. 2, infr. de iudicia. *Abrog.* N. 22, c. 25. — 11. L. 6, § 2; L. 8, § 3, infr. h. l.

In AUTHENT. de nupt., § si vero expectet, coll. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 25.

In donatione propter nuptias, etiamsi alius pro viro dederit, deserit eam proprietas.

In AUTHENT. col. constitut., et § quibus supra, versic., venient autem talia, Novell. ead., cap. 25.

Lucrum hoc æqualiter inter liberos lege distribuitur, non arbitrio parentis permittitur.

In AUTHENT. de nupt., § hinc nos, coll. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 46, et de non elig. secund. nubent., § cum igitur, coll. 1, tit. 2, Nov. 2, cap. 5.

Ex-testamento quidem succedit mater liberis suis, quæ convolvit ad secundas nuptias, sicut instituit quilibet. Ab intestato quoque vocatur, sive ante mortem filii, sive postea secundas ineat nuptias: sed ab intestato eorum solum usumfructum percipit, quæ ex paterna substantia ad filium pervenerunt: quantum vero ad antenuptialem donationem pertinet, erit similiter, ut in residuis: omnino ingratitude, et hoc contra matrem fratresque inspecta.

In AUTHENT. de non elig., § hoc autem, col. 1, tit. 2, Novell. 2, cap. 2, et de nupt. collat. 4, tit. 1, § quoniam infirmas, Novell. 22, cap. 26.

Sed et si quis ex his præmoriatur absque progenie, redit ad matrem dominium: quantum acquirunt ex pacto non existentium liberorum: residuum autem conceditur quibuslibet defuncti heredibus: si quid ergo ex his alienaverit: pro superscripta portione confirmatur alienatio: quare si sola heres extiterit, in solidum ad ipsam redit, vel alienationem sequitur.

4. Impp. HONOR. ET THEOD. AA. Martiniano P. P.

Cum aliis sanctionibus jusserimus, materna bona integra ad liberos pervenire, quod tamen mulier mariti largitate perceperit, [sit] ex eo tantum liberi conjugio procreati sibi speciale tanquam paternum noverint [patrimonium] vindicandum. Itaque si habens filios ad secundas nuptias fortasse transierit: sponsalium largitatem, quam vir secundus contulit in uxorem, tantummodo filii, qui ex secundo matrimonio suscepti sunt, pro soliditate possideant, nec prosit liberis ex priore susceptis matrimonio, quod mulier ad tertia minime vota migraverit. Quod si posterior vir sine liberis ex eodem matrimonio susceptis decesserit, quicquid ab eo ex sponsalium largitate uxor fuerit consecuta, id sibi iurique suo sciat esse collatum, etiamsi ex priore matrimonio donator filios reliquisset deoatere. Ad maternas sane veniens, vel ex hoc, vel ex quolibet alio titulo facultates omnis posteritas, ex quocunque suscepta viro, per debita sibi portione, ut a matre, vel a spontanea largitate, vel per testamentum ejus fuerit collata, possideat. Nos enim hac lege id præcipue custodiendum esse decernimus, ut<sup>12</sup> ex quocunque conjugio suscepti filii, patrum suorum sponsalium retineant facultates. — Dat. 5 non. novemb. *Ravennæ*, HONOR. 13 ET THEOD. 10 AA. CONSS. 422.

5. Impp. THEOD. ET VALENT. AA. Florentio P. P.

Generaliter censemus, quocunque casu constitutiones ante hanc legem mulierem liberis communibus, morte mariti matrimonio dissoluto, quæ de bonis mariti ad eam devoluta sunt, servare sanxerunt: iisdem casibus maritum<sup>13</sup> quoque quæ de bonis mulieris ad eum devoluta sunt, morte mulieris matrimonio dissoluto, communibus liberis servare. Nec interest, si alter pro marito donationem ante nuptias, vel pro muliere dotem crediderit offerendam. Hoc observare præcipimus, licet res ante nuptias donata (ut adsolet<sup>14</sup> fieri) in dotem a muliere redigantur. Dominium autem rerum quæ liberis per hujus legis, vel præteritarum constitutionum auctoritatem servantur, ad liberos pertinere decernimus. Itaque defuncto eo, qui eas liberis servabat, extantes ab omni possessore liberi vindicabunt: consumptas [vero] ab heredibus ejus exigent, qui eas servare debuerunt. Alienandi sane, vel obligandi suo nomine eas res, quæ liberis servari præceptæ sunt, eis qui reservati sunt, adempta licentia est. Negotia vero liberorum patri utiliter administrare concedimus. Dividendi quoque res inter eos liberos ipsis parentibus pro suo arbitrio, vel eligendi quem voluerint, licentiam non denegamus<sup>15</sup>. — § 1. In his autem casibus, in quibus res ut paternas mater liberis communibus liberis servare præcepta est, (hoc est, ubi morte mariti matrimonio dissoluto, mulier ad alias nuptias pervenerit) vel ubi [res] ut maternas patrem liberis communibus servare censuimus: hoc est, (ubi morte mulieris matrimonio dissoluto, vir ad alias nuptias venerit) si hereditatem ejus parentis qui prior mortuus est, non

12. N. 22, c. 29; adde L. 4, D. ad SC. Tertull. — 13. N. 2, c. 5; N. 22, c. 25. — 14. L. 5, l. 14, supr. de donat. ante nupt. — 15. L. 5, supr. h. l.; L. 5, § 7, infr. de repud. *abrog.* N. 22, c. 25. — 16. L. 6, supr. de legib.; L. 19, in fin. supr. de fide iustum. — 17. L. 6, § 2, infr.

aderint liberi, licebit eis tanquam ejus tantum res fuerint, qui posterior moritur, hereditatem crediderint adeundam: ne<sup>16</sup> quod favore liberorum inductum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum videatur inventum.

In AUTHENT. de nupt., § Si vero expectet, et § Quoniam autem, et § Soluta, coll. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 25, 26 et 20.

Hæc res lucro cedunt liberis, licet heredes non sint patris, aut matris, aut utriusque nisi fuerint ingrati, et probetur i. gratitudo. — § 2. Illud etiam humanis sensibus huic legi credidimus inserendum, ut eo quoque casu quo lucratur, vel mulier res quæ ad eam a marito perveniunt, vel maritus eas quæ ex bonis mulieris ad eum transeunt: hoc est, ubi primum matrimonium alterius morte dissolvitur, nec superstes ad secundas nuptias pervenit, si res vel maritus, vel uxor, hoc est, qui superstes est, non consumperit, vel alienaverit, (quod eis ad secundas nuptias non venientibus, quasi rerum dominis<sup>17</sup> concessum esse non dubium est) liberis liceat res a patre profectas, ut paternas, a matre, ut maternas accipere. — Dat. 7 idib. septemb. CP. THEOD. A. 18 ET FLETO CONSS. 444.

In AUTHENT. neque virum quod ex dote, § propterea agitur, coll. 7, tit. 10, al. coll. 8, tit. 1, Novell. 98, c. 1.

Uxore mortua, quod vir ex dote lucratur, filiis communibus omnimodo reservatur quantum ad proprietatem, usufructu patri concessio. Idem est ex parte mulieris, si lucratur ex sponsalium largitate. Item si alter matrimonium solvatur, super iisdem lucris loquitur hæc eadem constitutio.

In AUTHENT. ut fratrum filii, § quia vero mulieres, coll. 9, tit. 10, al. 7, Novell. 127, cap. 5.

Si tamen abstineat mater a secundis nuptiis, habeat et ipsa proprietatis portionem pro numero liberorum. Idem in patre obinet, et in omnibus ascendentibus a secundis nuptiis abstinentibus.

6. Impp. LEO ET ANTHEMIUS AA. Erythrio P. P.

Hac edictali lege in perpetuum valitura sancimus, si ex priore matrimonio procreatis liberis pater matre ad secunda, vel tertia, aut alterius repetiti matrimonii vota migraverit: non sit ei licitum noverca, vel vitricum, testamento, vel sine scriptura, seu codicillis, hereditatis jure, sive legati, sive fideicommissi titulo plus relinquere, nec dotis, aut ante nuptias donationis nomine, seu mortis causa habita donatione, conferre, nec inter vivos conscribendis donationibus, (quæ etsi constante matrimonio civili jure interdictæ sint, morte tamen donatoris ex certis<sup>18</sup> causis confirmari solent) quam filio<sup>19</sup>, vel filia, si unus, vel una extiterit. Quod si plures liberi fuerint: singulis æquas partes habentibus minime plus quam ad unumquemque eorum pervenerit, ad eorum liceat vitricum novercamve transferri. Sin autem non æquis portionibus ad eodem liberis memoratæ transierint facultates: tunc quoque non liceat plus<sup>20</sup> eorum novercæ, vel vitrici testamento relinquere, vel donare, seu dotis, vel ante nuptias donationis titulo conferre, quam filius, vel filia habet, cui minor portio ultima voluntate derelicta, vel data fuerit, aut donata: ita tamen, ut quarta pars quæ eisdem liberis debetur ex legibus nullo modo minuat, nisi ex his causis quæ de inofficioso excludunt querelam. Quam observationem in personis etiam avi, [vel avia,] proavi et proavia, nepotum, vel neptium, item pronepotum, vel proneptium, sive in potestate, sive emancipati emancipateve sint, ex paterna, vel materna linea venientibus, custodiri censemus. Sin vero plus quam statutum est, [aliquid] novercæ, vel vitrici relictum, vel donatum, aut datum fuerit, id quod plus relictum, vel donatum, aut datum fuerit, tanquam non scriptum, neque derelictum, vel donatum, aut datum sit, ad personas deferri liberorum, et inter eas dividi jubemus: omni circumscriptione, si qua per interpositam personam, vel alio quocunque modo fuerit excogitata, cessante. — § 1. His illud adjungimus, ut mulier in his casibus, in quibus ante nuptias donationes, ceteras etiam res a marito ad se devolutas, secundum priorum legum statuta liberis communibus, ut paternas, servare compellitur: hoc est, ubi morte<sup>21</sup> mariti matrimonio dissoluto ad alias nuptias venerit, immobilium rerum et mancipiorum, annonarum quoque civilium usufructu duntaxat vite suæ temporibus potitur, alienatione earum penitus interdicta. Mobilium vero rerum, justis pretiis æstimatione habita per eos, quos utraque pars elegerit arbitros judicatos, interposito sacramento, simili modo usumfructum habeat, si idoneam<sup>22</sup> fidejussionem præbuerit, quod easdem res mobiles, vel earum pretium filiis et filiabus ex eodem matrimonio procreatis, vel post mortem eorum nepotibus et neptibus ex eisdem liberis

infr. h. l. *mutat.* N. 127, c. 5. — 18. L. 25, infr. de donat. inter vir. et uxore. — 19. N. 22, c. 27; vide tamen L. 18, supr. de donat. ante nupt. — 20. *Fac.* L. 1, *mutat.* de iust. dot. L. 18, l. 19, in fin. supr. de donat. ante nupt. — 21. N. 68. — 22. N. 2, c. 4; N. 22, c. 45.

procreatis, sive omnibus, sive uno unave superstitute mori contigerit, secundum legum modum restituat: vel certe si fidejussiones idoneas præstare distulerit, aut nequiverit: prædictæ res mobiles nondum matri a liberis traditæ, apud eandem manebunt. Solutæ vero eidem matri, vel ab eadem detentæ restituentur liberis, si tamen ab his fidejussio idonea matri fuerit oblata, qua caveri debet, *quod eidem superstiti pro usufructu earundem rerum mobilium, vel pretio quo taxatæ sunt, usurarum nomine centesimæ partem tertiam annuis quibuscunque temporibus præstare non differet*: ita [tamen,] ut in eadem fidejussione hoc quoque caveatur, *quod a filiis filiarumve, vel ex his progenitis liberis, si ante eandem matrem omnes eos obire contigerit, omnes res prædictæ mobiles secundum legum moderationem matri, ut ad eandem lucuosum lucrum redeat, restituantur*. Erit itaque licitum utrilibet parti, quæ fidejussio- nem præbuerit, si sibi commodum esse perspexerit, his rebus mobilibus uti frui, easdemque dare mutuo, vel obligare, vel vendere, ut ex his maxime liberi acquirentes possint materno affectui sine suo incommodo deservire. Sin autem utraque pars prædictam fidejussio- nem dissimulaverit, aut forte offerre nequiverit: eadem res apud mulierem usque in diem vite suæ manebunt.

In AUTHENT. de non eligend., § aliud, coll. 1, tit. 2, Novell. 2, cap. 4, et in AUTHENT. de nupt., § et quia parum, coll. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 45.

*Sed si aurum fuerit in donatione propter nuptias scriptum: cautio usurarum exponitur, non autem aurum exigitur: nisi forte viri substantia habeat aurum, et cætera quæ scripta fuerit.* — § 2. Omnibus videlicet iisdem maritalibus facultatibus, his etiam quas habet habiturae est tanquam si jure pignoris, vel hypothecæ suppositæ sint, super eadem ante nuptias donatione, vel rebus aliis ad eam ex mariti substantia devolutis, ex eo die, quo eadem res ad eam pervenerint, liberis obligatis: ut si quis post traditas matri, vel detentas ab ea res (si ita contigerit) contractum aliquem cum eadem muliere inierit, quæ se repetitis nuptiis copulaverit: in vindicandis<sup>25</sup> iisdem suppositis rebus posteriores habeantur: liberis qui ex eodem matrimonio procreati sunt, et nepotibus neptibusque qui ex iisdem liberis geniti sunt, sine dubio præponendis. — § 3. Sin vero liberorum suorum affectione servata pater, matre ad alias nuptias migrare noluerit: neque vir his quæ de bonis uxoris ad se transeunt, neque mulier rebus quæ ex substantia mariti ad se pervenerunt, pro suo arbitrio<sup>21</sup> uti, vel eas vendere, aut quocunque jure, vel modo alienare, vel pignoris jure, seu hypothecæ, si voluerint, obligare, utpote domini earum prohibebuntur. Extantes autem prædictas res, si non fuerint alienatæ, vel consumptæ, vel suppositæ, licebit liberis vindicare, etiam non ademptibus<sup>25</sup> hereditatem parentum. — Dat. 2 kal. Mart. MARTIANO et ZENONE CONSS. 469.

*Filius transmittit ad descendentes jus vindicandi lucrum sibi proveniens propter secundas nuptias patris, vel matris, ascendentibus et collateralibus exclusis: sed electionem habet in quem volet liberorum suorum lucrum illud transferendi. Non est igitur hæc lex abrogata Novell. 2 Justiniani quæ matri electionem admittit, non autem ejus filio.* Char.

7. Imp. ZENO A. Sebastiano P. P.

In quibus casibus pater dotem, mater ante nuptias donationem, vel alias res ad se ex altera parte devolutas, filiis utriusque sexus servare præcepit: si quem ex filiis vel filiabus ante patris, vel matris obitum mori contigerit (sive ante secundas nuptias, sive postea) filio vel filia, nepote vel nepte, vel pluribus, patre suo adhuc vivo, vel matre superstitute, derelictis: portionem quæ defuncto filio, vel filia debebatur, vel lucrum ex ea, non ad fratres, vel sorores mortui, sed ad filios<sup>26</sup> ejus, vel filias, vel nepotes utriusque sexus, aut pronepotes, avis, vel proavis superstitibus, pervenire decernimus: eligendi videlicet, quos voluerint ex liberis superstitibus, non adempta licentia. — Dat. kal. Mart. ELLO V. C. CONSS. 478.

8. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

Si quis prioris matrimonii filiorum ante secundas nuptias patris, vel matris mortuus fuerit, filiis a se, vel nepotibus, vel pronepotibus relictis partem ejus non ad fratres, vel, si nullus alius frater, vel soror sit, ad patrem, vel matr. m. ejus pervenire, sed ad filios<sup>27</sup>, vel nepotes, vel (pronepotes) ejusdem mortuæ personæ, sancimus: ut sive unus, sive plures sint, eam tantummodo partem vindicare possint, quæ mortuo competit. — § 1. Illud etiam certa sanctione definire censemus, ut si quis, vel si

<sup>25</sup> L. 3, in fin. supr. h. t. — <sup>24</sup> N. 21, c. 2. — <sup>25</sup> L. 8, § 2, infr. h. t. — <sup>26</sup> d. L. 8, pr. : L. 3, infr. de bon. quæ lib.: N. 24, c. 25 — <sup>27</sup> L. 7, supr. h. t. — <sup>28</sup> L. 5, in fin. L. 6, in fin. supr. eod. — <sup>29</sup> d. L. 6, in fin. — <sup>30</sup> F. L. 1, in fin. infr. de fundo dotat. — <sup>31</sup> L. 5,

qua ex alio matrimonio filiis procreatis, minime ad secundas nuptias venerit, eodem modo liceat quidem genitori [vel genitrici] res ex prioris conjugio sibi acquisitas, quomodo voluerit, alienare<sup>28</sup>, vel administrare: si quæ vero earum minime sint alienatæ, possunt liberi etiam non ademptes<sup>29</sup> paternam vel maternam hereditatem eas vindicare. — § 2. Certum esse sancimus, quod etiam illa de cætero videbitur earundem fuisse rerum alienatio, quæ in testamento genitoris, vel genitricis, vel specialiter relinquendo<sup>30</sup>, vel generaliter heredem instituendo facta sit. In AUTHENT. de nupt., § deinceps, et § solut., coll. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 20.

*Nunc autem, nisi expressim transponat in alios, præsumitur ipsis conservare talia lucra.*

§ 5. Talem vero licentiam [datam] filiis, ut etiam non ademptes paternam, vel maternam hereditatem, lucra vindicarent, quæ patris eorum ex matrimonio quod secundo toro minime mutavit, sibi adquisita non alienavit, nullo modo eis concedimus, si paternam vel maternam hereditatem ab intestato ex patre (si forte alii etiam ex anteriore matrimonio morienti parenti filii sunt) sibi acquisierint. — § 4. In illo etiam veterem sanctionem adimplentes, præcipimus exemplo matris, cujus res post secundas nuptias filiis ex prioris matrimonio natis [in hypothecæ<sup>31</sup>] suppositæ sunt, ad conservanda eis lucra quæ ex prioris matrimonio ad eam pervenerunt: patris quoque bona quæ habet habiturusque est, filiis ex prioris matrimonio natis post secundas ejus nuptias, ad ea conservanda, quæ ex eorum matre lucratus est, supposita esse. — § 5. Illius etiam patris qui in sua potestate talem liberum, vel liberos habens, maternam eis substantiam, vel ex materna linea ad eos devolutam servare compellitur: bona iisdem liberis supposita esse ad conservandas easdem maternas res decernimus: ita tamen, ut occasione talium hypothecarum, neque patris, neque matris administrationem filii valeant perscrutari, vel aliquam eis movere super hoc questionem: cum perspicui sit juris, etiamsi alienata fuerint eorum bona, quæ extra memorata lucra, vel maternas res sunt, jus hypothecæ integrum iisdem manere filiis. — Dat. 3 idib. decemb. D. N. JUSTINIANO A. 2 CONSS. 528.

9. Idem, A. Mennæ P. P.

Quoniam præteritæ<sup>32</sup> leges omnia quæ liberis ex prioris matrimonio procreatis, mulier quidem secundo marito, vir autem secunda uxori dotis, vel ante nuptias donationis nomine vel alio quocunque modo dederit, vel reliquerit, his ampliora quæ uni filio, vel filia: ex anteriore matrimonio progenitis danda vel relinquenda sunt, revocata ad solos filios, [vel filias] ex anteriore matrimonio natos pervenire constituerunt, nulla in hac parte filiorum ex secundo matrimonio natorum mentio facta est: hoc quoque corrigentes, omnia quæ memorato modo revocantur, non solum ad filios prioris matrimonii, sed etiam ad eos qui ex secundis nuptiis nati fuerint, pertinere, et in capita inter omnes dividenda sancimus. — § 1. Ad hæc lucra quæ marito, vel uxori ex dote, vel ante nuptias donatione occasione repudii accedunt, indistincte post secundas eorum nuptias liberis ex prioris conjugio procreatis ad similitudinem<sup>33</sup> matrimonii morte dissoluti servari, nec de cætero repudii causam requiri, vel aliam in ea [requisitionem] fieri. — Dat. id. april. Constantinop. DEIO V. C. CONSS. 486.

In AUTHENT. de nupt., § 1, et § nec illud, et § optime, coll. 4, tit. 1, Novell. 22, cap. 1, 29 et 27.

*Ad eos solos etiam nunc pertinet: et si quis ex eis præmiorum relicta sobole, portio ejus ad eam defertur.*

10. Idem, A. Demostheni P. P.

Cum apertissime legibus caveatur, ingratos liberos a majorum suorum hereditate merito esse repellendos, si hoc idem in suis clogiis conscripserint, et revera hoc fuerit revelatum: reclamare videtur hujusmodi sanctioni divalis constitutio Leonis<sup>34</sup> inclatæ recordationis, quam super filiis ex prioris matrimonio procreatis conscripsit. Nam cum necessitas est patri, vel matri, qui ad secunda vota migraverit, tantum præstare per quamcunque causam secundo marito, vel novercæ, quantum filio, vel filia: ex anterioribus nuptiis progenitis, qui partem minimam habiturus est, reliquerit, maxima iniquitas ex hac sanctione contra genitores efficiatur: liberi etenim scientes, quod omnimodo aliquid sibi a genitoribus suis etiam nolentibus relinquendum est, et tantum quantum secundus maritus, vel noverca acceperit, omni licentia et lascivia suos genitores injuriis adficiant. Quapropter sancimus, ingratos revera liberos neque hoc beneficium, quod divalis constitutio Leonis Augustæ

<sup>22</sup> supr. h. t. L. 12, § 1, vers. exceptis infr. qui potiores in pign. — <sup>32</sup> L. 6, supr. h. t. — <sup>33</sup> N. 38, c. 1. — <sup>34</sup> L. 6, supr. h. t.

## TIT. XI.

## DE DOTIS PROMISSIONE ET NUDA POLLICITATIONE.

1. Imp. ALEXAND. A. Claudie P. P.

Frustra existimas actionem tibi competere, quasi promissa dos tibi, nec præstita sit, cum neque species ulla<sup>1</sup>, neque quantitas promissa sit, sed hactenus nuptiali instrumento adscriptum, *quod ea, quæ nuberat, dotem dare promiserit.* — P. P. kal. Aug. POMPEIANO et PELIGNO CONSS. 252.

2. Imp. GORD. A. Herodoto P. P.

*Si pro dote promissa usuras<sup>2</sup> dare socer tuus spondidit: id, quod deberi ostenderit, competens judex solvi tibi præcipiet.* — P. P. 12 kal. septemb. PIO et PONTIANO CONSS. 259.

3. Idem, A. Claudio [P. P.]

Si quam ea quæ tibi matrimonio copulata est, nuberet, is, cujus meministi, dotem tibi non addita quantitate, *sed quocunque arbitratus<sup>3</sup> fuisset*, pro ea daturum se rite promisit, et interpositæ stipulationis fidem non exhibet: competentibus actionibus usus, ad repromissi emolumentum jure judiciorum pervenies. Videtur enim boni<sup>4</sup> viri arbitrium stipulationi insertum esse. — P. P. kalend. Januar. SABINO et VENTURO CONSS. 241.

4. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Rufo.

Si voluntate dotantis in dotali instrumento plura tibi tradita scripsisti, quam suscepisti: intelligis de his, quæ desunt, petendis, pactum esse consecutum<sup>5</sup>. — S. non. aprilis, AA. CONSS.

5. Idem, AA. et CC. Dasumianæ.

Si pater marito tuo stipulanti promiserit dotem, non tibi<sup>6</sup>, sed marito contra successores soceri competit actio. — Dat. 8 kal. decemb. AA. CONSS.

6. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Hierio P. P. post alia.

Ad exactionem dotis, quam semel præstari placuit, qualiacunque sufficere verba censemus, [sive scripta fuerint,] sive non, etiam si stipulatio<sup>7</sup> in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit subsequuta. — Dat. 10 kal. Mart. CONSTANTINOP. FELICE et TAURO CONSS. 428.

7. Imp. JUSTINUS A. Joanni P. P.

Si pater<sup>8</sup> dotem pro filia simpliciter dederit, vel [pro] filio ante nuptias donationem fecerit, habeat autem filius, vel in potestate constitutus, vel forte emancipatus res maternas, vel [ex] alio modo tales, quæ acquisitionem effugiunt, quarum usufructus solus apud patrem remanet, vel quocunque modo poterat quasdam actiones contra patrem habere: dabatur apud veteres, utrumne videretur pater ex ipso debito dotis vel ante nuptias donationis fecisse promissionem, vel donationem, ut sese ab hujusmodi nexu liberaret, an debitum quidem remaneret in sua natura, liberalitas autem paterna dotem, vel ante nuptias donationem dare suggestisset. Et in tali dubitatione multa pars legumlatorum sese divisit, alio etiam incremento hujusmodi questionis addito, si forte dixerit in instrumento dotali, ex rebus paternis et maternis dotem, vel ante nuptias donationem dare: utrum [pro] dimidia parte videatur datio, vel promissio facta esse, an pro rata portione utriusque substantiæ. Utramque igitur dubitationem certo fini tradentes, sancimus, si quidem nihil addendum existimaverit, sed simpliciter dotem vel ante nuptias donationem dederit, vel promiserit: ex sua<sup>9</sup> liberalitate hoc fecisse intelligi, debito in sua figura remanente. Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omnino paternum<sup>10</sup> esse officium, dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie. Liberalitas itaque talis remaneat vera et irrevocabilis, ut puro nomine et liberalitas et debitum suam sequantur fortunam. Ubi autem ex rebus tam suis, quam maternis, vel aliis, quæ non acquiruntur: vel ex suis debitis dixerit se fecisse hujusmodi liberalitates: tunc si quidem penitus inopia tentus est, ex illis videri rebus dotem vel ante nuptias donationem esse datam, quæ ad filios vel filias pertinent. Si vero et ipse substantiam idoneam<sup>11</sup> possidet, in hoc casu quasi de suo patrimonio dotem, vel ante nuptias donationem dedisse intelligatur. Poterat enim secundum suas vires dotem pro filia, vel ante nuptias donationem pro filio dare: et consentire filiis suis, quando voluerint partem, vel forte totam suam substantiam, quam habent, paternæ liberalitati pro dote, vel ante nuptias donatione aggregare: ut

memoriæ eis præstitit, in posterum posse sibi vindicare, sed quasi ingratos ab omni hujusmodi lucro repelli. Quam observationem in personis, etiam avi et avie [proavi et proavie,] nepotum vel nepotum, item pronepotum vel proneptium, sive in potestate, sive emancipati emancipatæ sint: ex paterna vel materna linea venientibus custodiri censemus. Sed quemadmodum genitoribus providemus, ita et innocuam posteritatem nullis affici injuriis patimur: ut non genitores, qui sese secundis nuptiis devoverint, irrationabile odium ad priores liberos forsitan habentes, sine justa ratione eos ingratos [vocare] concedantur. Eos etenim liberos hujusmodi beneficio defraudari volumus, qui re<sup>35</sup> ipsa ingrati circa suam antiquitatem ab heredibus genitorum liquidis, et indubitatis probationibus convicti fuerint, ex hujusmodi casibus, qui antea priscis legibus enumerati sunt. — Dat. 15 kalend. octob. Chalcedone, DEIO V. C. CONSS. 486.

*In 28 lib. βασιλικῶν fit mentio 11 constitutionis hujus tituli, quæ ipsius quidem est Justiniani, sed ab eo abrogata Novell. 2, in qua etiam illius meministi: illam vero tum ex ipso βασιλ. libro, tum ex Novella Justiniani fuisse constat de hereditatibus filiorum, quorum matres ad secundas venerant nuptias, si ipsi ante eas intestati decesserint. In eodem βασιλ. libro fit etiam mentio 14 constitutionis hujus tituli, quæ ipsius est Justiniani, eam Cujacius latinam edidit in Comment. ad Novell. Justiniani: quem secuti, illam sic rescripsimus. Char.*

11. Idem, A.\*

Si filii, quorum parentes ad secundas venerant nuptias, ante eos decesserint, proprietates lucrorum nuptialium ad filiorum heredes etiam extraneos testamento scriptos perveniet: deducto eo, quod in casum orbitatis parentem lucrari convenit, quod etiam pro rata observatur uno ex pluribus filiis ante parentem mortuo. Sed si parens lucra nuptialia alienaverit, et ad secundas nuptias venerit, nec eum liberi heredem instituerint, valebit alienatio ad finem ejus, quod in casum mortis liberorum lucrari parens, qui alienavit, debuit, et reliquum revocabitur ab heredibus defunctorum liberorum. — Dat.\*

*Cum recitat primum hujus legis caput Cujacius, hæc adjicit: quæ tamen potius pro interpretatione accipienda videntur:*

Nam pars, quæ ei compete- bat, transit ad heredes ejus, sive fratres sint, sive extranei, deducto tantum eo pro rata quod apud parentem ex casu orbitatis sive morte liberorum remanere debet.

*Verum græcam quoque hujus constitutionis epitomen ab Ant. Augustino ediam relinquimus. Char.*

*Græca constitutio. Ejus particulam hanc recitit Ant. August. Secundo nubens, aut uxorem ducens, prioris matrimonii lucra ipsius liberis præmortuis habeat, et vindicet ab his qui habent.*

## TIT. X.

## SI SECUNDO NUPSERIT MULIER, CUI MARITUS USUMFRUCTUM RELIQUIT.

1. Imp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. ad Tatianum P. P.

Si usumfructum<sup>1</sup> maritus rerum suarum decedens uxori reliquerit, eaque in secundas nuptias consortiumque convenerit: usumfructum, quem ex prioris marito consecuta fuerit, amittat: atque eum filiis ex eo die, quo nupserit, mature restituat. Quod si liberis ex prioris matrimonio adhuc imbecillitas habeat infantia, nec muniat [eos] tutoris auxilium, ac per hujusmodi occasionem mater, quæ relicta fuerant, usurpaverit: omnia legitime repetantur, [et] cum competentibus fructibus ad liquidum deducta ratione restituat. Hæc de usufructu, quem vir extremam constituens voluntatem, de rebus propriis uxori reliquerit. De usufructu vero rerum ante nuptias donatarum, ea observari, quæ anteriores<sup>2</sup> constitutiones decreverunt, sancimus. — Dat. idib. Martiis, ARCAD. A. 2 et RUFINO CONSS. 392.

In AUTHENT. de nupt., § si vero solum, coll. 4, tit. 1, ex Novell. 22, cap. 52.

*Hoc locum habet, si datus vel relictus fuerit ea lege, ut ex secundis nuptiis interiret: alioquin perseverat, sive relictus esset: sive donatus, quibus casibus licuit. Sed usufructus in dote, sive ante nuptias donatione lege permissus, non potest a testatore derogari.*

<sup>35</sup> N. 22, c. 27, juncto c. 33.  
Tit. X. — 1. Adde Auth. prox. Nov. 29, c. 52. — 2. L. 5, L. 6, § 1, supr. de secund. nupt. Tit. XI. — 1. Immo vide L. 3, infr. h. t.; L. 69, § 4, D. de jure dotium. — 2. L. 21, § 1, D. de donat. inter vir. et uxor. — 3. L. 1, supr. h. t.; L. 69, § 4, D. de jure dot. — 4. L. 22, in

fin. D. de reg. jur. — 5. Adde L. 14, § 1, vers. ideoque supr. de non numer. pecun. — 6. L. 48, § 1, D. de jure dot. — 7. Confer L. 1, pr. infr. de rei uxor. act.: fer. § 1, Inst. de verb. oblig. — 8. Adde N. Leon. 21 — 9. L. 5, § 13, D. de jure dot. — 10. L. 19, D. de ritu nupt.; adde L. 14, infr. de jure dot.; L. 41, § 11, D. de legat. 3. — 11. L. 115, D. de verb. sign.